

# **Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Sebastiani Castellionis Sacrorvm Dialogorum Libri  
Qvatvor, Qvos Postremo Ipse Recognovit: Argvmenta  
Singvlis Dialogis Praeposvit, Et Sententias Svbiecit ...**

**Châteillon, Sébastien**

**Francofurti, 1761**

**VD18 12886300**

Abisaevs.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-18303**

me tua oratione a cæde & vindicta injuriæ in me  
 commissæ avocaris: Nam Deum immortalem te-  
 stor, qui me tibi malefacere prohibet, nisi tu mihi  
 occurrere properavisses; Nabalem ante dilucum  
 fortunis omnibus funditus evertissem. Ve-  
 rum ejus culpam tibi condono, tuaque munera  
 grato animo accipio. Abi sane domum salva.

SENTENTIA.

*Irritare potentiorum, vesania est: bonum male-  
 pensare, scelus. Iratum potentiorum muneribus  
 verbisque pacare sapientia.*

ABISÆVS. 1 Reg. 26.

ARGUMENTVM.

David noctu clam in Sauli castra digres-  
 sus, ejus dormientis hastam matellamque  
 furripit. Deinde digressus illinc procul, cla-  
 more eum excitat, suamque innocentiam  
 iterum testatur, in calumniatores invehens,  
 & ille iniquitatem suam iterum confitetur.

*David, Abisæus, Abner, Saulus.*

**U**ter vestrum descendet mecum in castra ad  
 Saulum? *Abis.* Ego. *D.* Eamus sensim &  
 pedetentim per noctem, dum dormiunt hostes.  
 Omnes sunt oppressi altissimo somno. *Ab.* Da-  
 vid, David! *D.* Quid est? *Ab.* Hic stertit Sau-  
 lus in tentorio, hasta humi ad caput ejus defixa.  
 Abner & reliqui a) temere circum eum jacent;  
 nimirum tibi Deus facit tui hostis potestatem.

a) Confusi & nullo ordine.

Vis ergo, ut ego cum hasta configam ad terram uno ictu non repetendo? *D.* b) Noli eum perimere, quis enim adferat manum ei, quem Deus unctiōne creavit Regem, quin obliget se nefario scelere? Aut Deus eum perdat oportet, aut dies ei fatalis veniat, aut in prælio cadat. Certe meam manum a rege creato divinitus avertat Deus. Sed cape hastam ejus & matellam; abeamus. *Ab.* Deus bone, ut alte sopiti sunt? nullus omnino expergiscitur. *D.* Non sine numine hæc fiunt. Conscendamus montem. Volo ego de summo cacumine clamare Saulum, & ei ostendere, me non minus fidum, quam quemvis eorum, quibus stipatoribus utitur. Satis jam procul absumus ab eis, ne repentino eorum adventu possimus opprimi. Heus Saule, heus stipatores Sauli, heus Abner, non mihi respondes? heus te apello Abner. *Abn.* Quis tu es, qui clamas regem? *D.* Næ tu es vir eximius, & dignus, qui inter Israelitas principatum teneat. Ita ne vero Regem dominum custodis, ut ad eum necandum, miles quidam modo introiret tentorium? Haud egregium sane istud fecisti. Per Deum immortalem? vos estis digni supplicio capitali, qui tam male custodiatis dominum vestrum, Regem a Deo constitutum. Quæso vide, ubi sit hasta, & matella Regis: quæ erat propter<sup>c)</sup> caput ejus. *S.* Estne ista tua vox, fili mi David? *D.* Mea, o mi Rex, & domi-

G 3

b) Singularis & imitanda bonitas Davidis, malum bono pensantis.

c) Juxta.

domine. Sed cur tandem persequeris servum  
 tuum? aut quid feci, aut commisi? Enimvero  
 ne gravere paulisper audire me loquentem. Si  
 Deus te mihi infestum reddit, precor eum tibi  
 propitium, sin homines sunt, execrabiles sunt in  
 conspectu Jovæ, d) de cujus me hodie patrimo-  
 nio deturbant, quantum est in ipsis, & ad cultum  
 deorum peregrinorum impellunt. e) Sed non  
 finet Jova terram meo sanguine funestari: f)  
 quamvis Israelitarum Rex occupatus sit in perse-  
 quendo pulice (ut ita dicam) ut si perdicem per  
 montes persequatur. S. g) Peccavi, revertere  
 David filii: jam enim tibi non male faciam, qui  
 ita abstinueris de mea nece. Erravi nimis quam  
 imprudenter, fateor. D. Hic depone hastam  
 tuam, eam ipetito aliquis juvenum: h) cæterum  
 Deus remuneretur quemque, ut dignus, meritis-  
 que est. Te quidem hodie tradidit mihi in ma-  
 num: sed continui me a nece Regis. Ergo  
 quemadmodum tuam ego salutem caram habui,  
 sic ille habiturus est meam, meque hostili manu  
 liberaturus. S. Macte virtute David fili, haud  
 dubie conata proficies.

SENE

- d) Impii pios ita acriter persequuntur, ut pii ad pro-  
 fanæ religionis homines interdum se recipere cogantur.
- e) Pii Dei præsidio nituntur.
- f) Indignum est a summis infimos infestari:
- g) Impii piorum beneficiis interdum sic vincuntur, ut  
 peccatum fateantur, sed paulo post redeunt ad in-  
 genium.
- h) Pii indictam Deo committunt.

## SENTENTIA.

*Et justi juste, & iniusti injuste facere perseverant. Calumniatores tametsi utrisque nocent, tamen revera perniciosiores sunt iis, qui eorum calumniis credunt, quam, quos calumniantur.*

PHOEBAS. I Reg. 28.

## ARGUMENTVM.

Phœbus Saulo Samuelem elicit ab inferis, ab eo Saulus futurum exitium suum cognoscit.

*Saulus, Phœbas, Samuel.*

Phœbas, redde mihi oraculum Phœbi, & <sup>a)</sup> excita, quem dicam tibi. *P.* At tu scis, ut exterminaverit Saulus ex hac terra Phœbadas & divinos, cur me in tantum capitis periculum adducere vis? *Saul.* Jovam Deum immortalem juro, hanc tibi rem fraudi non futuram. *P.* Ecquem vis tibi excitem? *S.* Samuelem. *P.* Fiet; heu me miseram, desperii, tu Saulus es, me indigne decepisti. *S.* Ne formida. Sed quid vides? *P.* Video Augustam quandam, & plane divinam personam e terra ascendentem. *S.* Qua est specie? *P.* Vir est senex, indutus pallium. *S.* Samuel est, præbeo ei honorem. *Sam.* Quamobrem me eliciendo inquietas, Saule? *S.* Magnis premor angustiis. Palæstini me bello petunt, Deus adversatur, nec jam respondet, neque per vates, neque per somnia: hanc ob causam accivi, te, ut

G 4

me

<sup>a)</sup> Excita e mortuis: